

ritate tantum posse fieri, ex dictis facile intelligitur; proinde non ab Episcopo, sed a Summo Pontifice Festa mutantur, et omnino ad Ejus placitum.

Qui in recitatione Primæ quotidie Martyrologium legunt, sæpius possunt animadvertere mutationes Festorum a Summis Pontificibus factas, et in hoc Libro adnotatas.

Exempla: Sextodecimo Kalendas Januarii (17 Decembris) annuntiatur dies natalitia S. Joannis de Matha: « Romæ sancti Joannis de Matha, Fundatoris Ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captivorum; cujus festivitas agitur sexto Idus Februarii, ex decreto Innocentii Undecimi. » Et sexto Idus Februarii (8 Februarii) annuntiatur ejusdem dies festa: « Sancti Joannis de Matha,..... qui sextodecimo Kalendas Januarii obdormivit in Domino. »

Idem animadverti potest pro S. Francisco Salesio, Quinto Kalendas Januarii (28 Decembris), et Quarto Kalendas Februarii (28 Januarii); pro S. Camillo de Lellis, pro S. Vincentio a Paulo, et pluribus aliis.

Pro S. Ambrosio, depositio seu dies natalis annuntiatur Pridie Nonas Aprilis (4 Aprilis); pro Festo ejusdem Sancti celebrando, electa fuit ab Ecclesia dies ejus ordinationis ad Episcopatum; Septimo Idus Decembris (7 Decembris) annuntiatur: « Mediolani ordinatio sancti Ambrosii... ».

Sufficiat hæc dixisse de Festorum mutatione; magis interest intelligere regulas de Officiorum assignatione, quæ propter diversas causas aliquando occurrit facienda.

Q. 175. *Quid est Officii assignatio?*

R. Est amotio definitiva Officii a die propria alicujus Festi, perpetuo impedita ratione Occurrentiæ cum alio Officio prævalente, et in primam liberam diem quæ sequitur collocatio, quæ dies vocatur assignata, seu etiam aliquando fixa.

Proinde in casu Festum retinet quidem suam propriam diem, sed quia ponitur impedimentum perpetuum, ejus Officium tantum assignatur in primam sequentem diem liberam, quæ ideo etiam vocatur dies tamquam propria, seu non propria. (Cfr. Q. III.)

Exemplum: Ubi S. Nicolaus, Episcopus et Confessor, cujus Festum celebratur 6 Decembris, est Patronus loci, vel Titulus Ecclesiæ, ejus Festum est duplex 1 classis cum Octava; Octava dies incidit in die 13 Decembris; cumque 13 Decembris in Calendario Ecclesiæ universæ adscriptum sit Festum duplex minus S. Luciae, Virginis et Martyris, locus datur Occurrentiæ

perpetuæ utriusque Officii (Q. 156); prævalet Officium diei Octavæ S. Nicolai (Q. 159); Festum duplex S. Luciae, in casu Occurrentiæ accidentaliter, Commemoratione tantum perageretur (Q. 163); quia vero Occurrentia est perpetua, Festum quidem remanet in die propria 13 Decembris, sed gaudet privilegio ut ejus Officium assignetur in primam diem liberam (Q. 173). Unde patet differentia assignationem inter et mutationem, cum in mutatione Festum ipsum et non tantum Festi Officium collocetur in aliam diem liberam.

Aliud exemplum proponitur Q. 111, diei assignatæ et tamquam propriæ, pro Officio S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris.

NOTA. Ad indicandum alicujus Festi vel Officii amotionem a sua propria die, et in aliam diem collocationem, varii termini in auctoribus, et etiam in Decretis S. Rituum Congregationis usu venerunt, quibus non eadem semper ab omnibus tribuitur significatio. In recentioribus Decretis, S. Rituum Congregatio pluries dixit de repositione, et ibi intelligit collocationem Festi vel Officii a sua in aliam diem, per translationem accidentaliter; auctores vero aliquando per repositionem intelligunt assignationem in perpetuum.

In præcedentibus et sequentibus Quæstionibus mens fuit per repositionem intelligere generalem terminum; amotio Festi vel Officii accidentaliter a sua die et in aliam diem repositio vocata fuit translatio; amotio hujusmodi et repositio perpetua vocata fuit mutatio, vel assignatio. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 89, in Nota.)

Q. 176. *Quis est terminus ad quem, seu in quem assignatur Officium Festi perpetuo impediti; aliis verbis, quæ dies admittit Officium Festi assignandum?*

R. Est prima dies libera post Festum perpetuo impeditum, in qua non celebratur Festum fixum seu immobile (Q. 113) ritus duplicis aut semiduplicis; aut in qua non celebratur dies Octava fixa. Liberæ etiam non sunt dies infra Octavam Epiphaniæ, neque Vigiliæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ. His diebus impediendis etiam addenda est dies 2 Novembris.

Itaque Festa mobilia, eorumque Octavæ, Dominicæ, Feriæ privilegiatæ, Vigilia Pentecostes, quæ non admittunt Officia translata, impedimentum non sunt pro

assignatione alicujus Officii; etiamsi aliquando impedimentum accidentale erunt pro integritate Officii in tali die assignati.

Exemplum: Ex Occurrentia perpetua diei Octavæ S. Nicolai et Festi S. Luciae, 13 Decembris (cfr. Q. præcedens), assignandum venit Officium hujus Festi; prima dies non impedita quæ reperitur in Calendario Diocesis Mechliniensis, est 20 Decembris, a die 13 enim usque ad 19 inclusive adscribuntur singulis diebus Festa duplicia aut semiduplicia; in diem 20 Decembris igitur assignatur Officium S. Luciae, 13 Decembris perpetuo impeditum, et hæc dies fit dies assignata Officio hujus Festi.

Si dies 20 esset dies Dominica, occurrente Littera Dominicali D, non liceret, in locis ubi S. Nicolaus non est Patronus, et dies hæc in Calendario alias libera est, transferre aliquod Officium accidentaliter ex Occurrentia præcedenti impeditum (Q. 169); sed etiamsi sit Dominica, 20 Decembris remanet tamen dies assignata Officio in eam reposito; nova inde tali anno habebitur Occurrentia, sed accidentalis, cui regulæ in §§ 1 et 2 datæ applicabuntur; in casu Occurrentia daretur cum Dominica IV Adventus, cujus Officium præfertur (Q. 159), et Officii assignati S. Luciae fiet tantum Commemoratio (Q. 163).

NOTA. I. Ab auctoribus generatim hucusque indicatæ fuerunt quædam dies, in præcedenti responso non adscriptæ, in quibus ex speciali motivo non poterant assignari perpetuo Officia Festorum impedita, etiamsi liberæ semper essent pro translatione accidentali; scilicet: dies 3 Februarii, dies 28 Januarii, dies 26 Martii; ut liberæ remanerent semper pro translatione accidentali Officiorum respective Purificationis B. Mariæ V., SS. Nominis Jesu, et Annuntiationis B. Mariæ V., casu quo hæc Festa inciderent in Dominicam majorem, qua eorum Officium impeditum foret. (Cfr. Q. 172 ad 2°, 4° et 5°.)

Dicunt Ephemerides Liturgicæ (IX, 1895, pag. 689-692) ejusdem dies liberæ esse censendas pro assignatione saltem Officii duplicis aut semiduplicis; quod si Officia superius indicata in illas dies sint transferenda, Officia in ipsis diebus assignata eo anno redigentur ad instar simplicis, fietque eorum Commemoratio vel non, juxta regulas in § 2 traditas. Revera particulares Rubricæ, his Festis in Breviario propositæ, ita jure merito dici posse saltem innuere videntur. Imo dicta confirmantur per sequens S. Rituum Congregationis

Decretum: Ad dubium: « Num dies 26 Martii assignari possit ut sedes fixa Festi perpetuo translati? » S. Congregatio rescribere rata est; « Affirmative. » (Decret. 15 Septembris 1881, n. 3531, antiq. 5826, ad 3.)

Idem dicendum est de die 20 Martii, pro translatione Festi S. Joseph, in Occurrentia cum Dominica Passionis, juxta Decretum S. Rituum Congregationis 15 Augusti 1892. (Cfr. Q. 172, 8°.)

NOTA. II. Festa semiduplicia quæ transferuntur ob perpetuum impedimentum, assignari possunt, tamquam in dies proprios, in dies infra Octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de die infra Octavam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Augusti 1744, n. 2378, antiq. 4160, ad 3.)

NOTA. III. Nonnulla Diocesium et Regularium Kalendaria ita sunt Festis expleta, ut dies intra annum non sufficient pro assignatione Festorum duplicium et semiduplicium, quæ propterea perpetuo redigenda sunt ad ritum simplicem. Etiamsi casus pro nobis non sit practicus, placet referre Decretum S. Rituum Congregationis hac super re datum: « Cum propositum fuerit dubium: Utrum Festum duplex vel semiduplex, quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, considerari debeat uti simplicatum vel uti simplex, Sacra Rituum Congregatio.... respondendum censuit: Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; servatis Rubricis. » (Decret. 7 Decembris 1900; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 65.) Itaque Festum perpetuo simplicatum mutat naturam suam et de simplicato transit in simplex: unde in casu non amplius habet jus ad tres Commemorationes, scilicet in primis Vesperis, in Laudibus et in secundis Vesperis, sed ad duas Commemorationes tantum, nempe in primis Vesperis tantum et in Laudibus.

Q. 177. *Quis ordo servari debet, quando plura Officia Festorum assignanda sunt?*

R. Primum assignatur Officium Festi duplicis 1 classis, dein duplicis 2 classis, tertio duplicis majoris, quarto duplicis minoris, tandem Festi semiduplicis. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 7.)

Inter duplicia minora nulla fit distinctio in favorem Festi alicujus Sancti Ecclesiae Doctoris.

Cæterum servantur omnino regulæ datæ Quæstione 171 pro ordine translationis plurium Officiorum.

Q. 178. *Indica casus satis frequentes assignationis Officiorum faciendæ in locis et Ecclesiis particularibus.*

R. 1º In omnibus locis, in omnibus Ecclesiis, in quibus loci Patronus aut Ecclesiae Titulus ex iis est, quorum Festum 1º non celebratur, in Ecclesia universali vel in Diœcesi, cum Octava (Q. 141); 2º non celebratur eo tempore quo Octavæ prohibentur (Q. 143); 3º Festum est immobile (Q. 113); si in ipsa die Festi in Calendario Ecclesiae universalis aut Diœcesano adscribitur aliud Festum duplex 2 classis, duplex majus, duplex minus aut semiduplex; vel si in die Octava occurrit aliquod Festum duplex majus, duplex minus, aut semiduplex; cum hæc perpetuo sint per Occurrentiam impedita, eorum Officia necessario sunt assignanda, et Ordo Officiorum a Directorio Diœcesano indicatus semel pro semper mutandus est, secundum regulas in præsentis paragrafo traditas.

Si autem Patroni vel Titularis Festum mobile est, ex. gr., in Ecclesiis quarum Titulus est SS. Trinitas, aut SS. Cor Jesu, patet quod Occurrentiæ, tam in die Festo quam in die Octava, accidentales tantum sunt, et locus datur in casu Occurrentiæ, non assignationi Officiorum, sed translationi tantum, quæ quotannis fiet secundum regulas in § præcedenti datas.

2º Quando Summus Pontifex præscribit novum Festum, aut permittit ut novum Festum celebretur tum in Ecclesia universali, tum in Provincia, Diœcesi, aut loco particulari, accidit quod dies pro novo Festo indicata jam sit occupata in Calendario, sive generali sive particulari, alio Festo vel Officio; in quo casu alterutrius assignatio faciendæ est. Consulendum in casu est Directorium.

Exempla: Nova Festa per Breve 28 Julii 1882 concessa a) S. Cyrilli Alexandrini, b) S. Cyrilli Hierosolymitani, c) S. Josaphat, diebus a) 9 Februarii, b) 18 Martii, c) 14 Novembris, in quibus alia Festa vel Officia in Calendario Diœcesis Mechli-

niensis jam reperiuntur, nempe a) S. Gudulæ, b) S. Gabrielis, c) S. Martini, Papæ et Martyris, reposita fuerunt, et assignata sunt diebus vacuis proxime insequentibus, quæ reperiuntur a) 14 Februarii, b) 22 Martii, c) 16 Novembris.

Et in quo Ecclesiae alicujus particularis Calendario una alterave ex præfatis diebus est impedita per Officium jam præcedenter his diebus assignatum, ulterius dies libera quærenda erit, diversa ab ea quæ in Diœcesis Calendario indicatur. Exemplum: Ecclesia quæ Titularem habet S. Hubertum, cujus Festum celebratur 3 Novembris, diem Octavam S. Titularis celebrabit 10 Novembris; ea die in Calendario indicatur Festum duplex minus S. Andreae Avellini, Confessoris; perpetuo erit in Ecclesia S. Huberti impeditum, ideoque assignandum ad primam diem liberam; in Calendario Mechliniensi prima dies libera est 16 Novembris, quæ pro Ecclesia S. Huberti igitur erit dies assignata Officio S. Andreae Avellini. His jam ita statutis ante annum 1882, superveniens Festum novum S. Josaphat, diem assignatam accipiens in Calendario Diœcesano 16 Novembris, ulterius erit assignandum in Calendario particulari Ecclesiae S. Huberti, eique dies assignabitur 27 Novembris, quæ ibi prima dies libera est.

Variæ tamen in hujusmodi casibus animadverti debent regulæ, et præsertim sedulo perpendenda sunt Decreta, vel Indulta concessionum.

NOTA. Super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus S. Rituum Congregatio sequens dedit Decretum generale (21 Novembris 1893, n. 3811):

« Cum sæpe accidat, ut dies, qua S. Sedes aliquod novum Festum liturgicum statuit celebrandum, in calendariis particularibus sit alio Festo impedita, nec tamen clare constet quodnam ex iis sit peragendum, quodnam perpetuo transferendum; S. Rituum Congregatio præsentis Generali Decreto declarat et statuit, sequentes imposterum ab omnibus Calendariorum Ordinamentis tenendas esse normas:

I. Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum; ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, ceteris paribus illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur juxta Rubricas. Ceteris vero non paribus, si alterum præ altero sit potioris ritus, præferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic præferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius minus digno præferatur

juxta ordinem dignitatis in Rubricis præscriptum Tit. X, n. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit ejusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio præferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic præferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut æqualis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri præferatur, quod die prima libera reponetur juxta Rubricas.

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria aut tanquam-propria; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, præferatur huic, qui prima die libera reponendus erit juxta Rubricas.

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo præferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicujus Ecclesiæ Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia Sanctorum illa est intelligenda, qua iidem Sancti æternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica Festa recolenda; ita S. Rituum Congregatio declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quæ prima post propriam libera fixe in Calendario juxta notas concurrentiæ leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quæ pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.»

Quanti sit momenti hoc Decretum nemo non videt, et quam fuerit opportunum, quo præveniuntur plura dubia antiquitus sæpissime oborta ubi novum Festum instituebatur celebrandum.

Occurrunt in hoc Decreto plures definitiones quæ elucidatæ fuerunt in præcedentibus Quæstionibus super Festis; nempe,

de Festorum qualitate (QQ. 104, III, et 108), de eorum dignitate (Q. 104, IV), de Festis magis propriis et minus propriis (Q. 113), de Festorum translatione (QQ. 167-171), de eorum mutatione et assignatione (QQ. 173-177), de Sanctorum die natalitia et quasi natalitia (Q. 110), de Sanctorum die propria et non propria seu tamquam propria (Q. 110). Exempla ad diversas has Quæstiones proposita præsentis Decreti normas sufficienter elucidant ut non sit necessarium hic iterum exempla proponere.

Q. 179. *Cujus est Festorum mutationem, aut Officiorum assignationem indicare aut approbare?*

R. Festum mutare solus Summus Pontifex, aut S. Rituum Congregatio potest (Q. 174).

Officii assignatio autem fieri aut saltem approbari semper debet ab Episcopo loci Ordinario, justificatis apud ipsum Officiorum repositorum numero et causis, dierumque assignatarum ordine et qualitate. (S. Rituum Congregatio, Decret. 21 Novembris 1893, n. 3811, ad V.)

Imo ex citato Decreto eruitur posse Episcopum etiam novam sui Diocæsani Calendarii perpetui reformationem peragere, si forte Officia assignata non fuissent rite apposita; servatis in casu ad amussim normis in Decreto propositis. — Non potest vero Episcopus, sine licentia S. Sedis, suum Calendarium perpetuum novis Officiis ditare. (Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 699, 700.)

## CAPUT II

### DE CONCURRENTIA

#### § I De effectibus Concurrentiæ

Q. 180. *Explicite quid intelligatur per Concurrentiam.*

R. Concurrentia dicitur illa Officiorum successio, qua secundæ Vesperæ unius Officii simul obveniunt cum primis Vesperis Officii sequentis diei. Cum enim Officia ritus duplicis et semiduplicis jus habeant ad duas Vesperas, primas nempe et secundas (Q. 102), hinc, quando duo ejusmodi Officia sese proxime consequuntur, Vesperæ secundæ Officii præcedentis et Vesperæ primæ Officii sequentis de jure pariter recitari deberent; datur con-